



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacræ
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disput. XXXV. De existentiâ rei in duobus locis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

VII.
Materia,
Forma, &
qualitates,
habent ubi-
cationes sin-
gula diver-
sas.

Materia, forma, & omnes qualitates sunt in loco singulari per ubicationes distinctas. Patet, nam si una esset omnium ubicatio, sequeretur, quoties vel unum aliquid accidens in composito destruitur, perire totam semper ubicationem, idque manente re in eodem profus loco pereunte enim termino vel subiecto etiam partiali ubicationis, perit ubicatio. Dicit Vasquez, omnia in composito esse in loco per Ubicationem quantitatis. Contrà, possunt accidentia varia, & ipsa forma substantialis perire, manente adhuc in eodem loco quantitate, ergo non sunt in loco per ubicationem quantitatis.

VIII.

Essentiam & passiones omnes ab eâ naturaliter inseparabiles probabile est esse in loco per eandem ubicationem. Ratio est, quia perire possunt in eodem loco, nec possunt ab invicem naturaliter separari, ergo non est cur iis assignentur diversæ ubicationes, cum non sint multiplicandæ entitates sine necessitate.

Dices, unam non sufficere, nec enim subiectari potest idem accidens in subiectis specie distinctis. Contrà, dicunt multi, actus materiales sensuum subiectari & in materiâ & in animâ: item unio materiæ & formæ, imò accidentis cum subiecto, ut albedinis vel quantitatis cum pariete, recipitur juxta multos in utroque, ergo sola diversitas subiecti non sufficit. Habent ergo ut plurimum res compositæ ubicationes etiam compositas, ita ut singulis partibus singulari respondeant ubicationes, nisi ubi est peculiaris ratio in contrarium, ut aliquando esse ex dictis constat.

IX.
Idem sub-
iectari po-
test in sub-
iectis specie
distinctis.

Entitates etiam modales, præter superius postas nu. 4. habent ubicationes distinctas à subiectis quibus insunt. Ratio est, tum quia perire possunt manentibus in eodem loco subiectis, tum quia unio & actio conservativa partium in composito possunt ab uno in alium locum, moto composito, transferri.

X.
Modi forme
singuli ha-
bent ubi-
cationes diver-
sas.

DISPUTATIO XXXV.

De existentia rei in duobus locis.

SECTIO PRIMA.

Utrum eadem res possit naturaliter esse in duobus locis: præcipue forma materialis.

I.
Sermo est de
duobus locis
discontinuis.

IN duobus inquam locis adæquatis, & discontinuis, seu totalibus, nam in duobus aut pluribus non adæquatis, nec discontinuis posse rem existere, non est dubium, cum anima rationalis sit tota in capite, tota in pede, & tota in singulis corporis partibus: item Angelus est totus in primâ, & ultimâ parte suæ spheræ, & simul in omnibus partibus intermediis. Quæstio ergo est, utrum possit simul esse vel corpus, vel spiritus in duobus locis discontinuis, seu ita, ut non simul sint in medio. Utrum v.g. possit aliquid naturaliter esse hic, & Romæ, ita ut non sit in spatio interjecto.

II.
Nulla res esse naturali-
ter potest in
duobus locis
discontinuis.

Non posse rem eadem, saltem completam, naturaliter in duobus locis existere constans est omnium opinio, & quotidianâ probatur experientiâ: unde quodcumque hujusmodi aliquid visum est, manifesto ascriptum est miraculo: quare nec Angelum nec animam rationalem, nec compositum ullum substantiale posse vi agentium naturalium in duobus locis adæquatis, & totalibus, seu discontinuis simul collocari, videtur certum: rationem tamen ejus congruam assignare, factu non est ita facile. Ratio ergo una esse potest, quod cum res quævis sit suapte naturâ limitata, petit ipsius limitatio limitatum etiam locum, unde expletur naturalis ejus capacitas per unam ubicationem adæquatam, ac proinde stante unâ, non potest naturaliter habere aliam, magis quàm ignis duplicem simul calorem ut octo, vel materia simul duas formas substantiales ejusdem rationis. Secundo, quia si posset res aliqua esse in duobus locis simul, ergo in pluribus sine fine, idque naturaliter, quod tamen videtur incommodum, & in simili negatur posse materiam duas simul formas substantiales recipere, quia nullus numerus formarum assignari posset, quarum simul esset susceptiva.

III.

Quæres utrum saltem forma aliqua materialis

substantialis, vel accidentalis possit produci simul in diversis locis adæquatis, & discontinuis? affirmant aliqui, quorum rationes ponentur sect. sequente.

Dicendum, nullam omnino formam, sive substantialem, sive accidentalem posse vi agentium naturalium produci, aut collocari in diversis locis adæquatis, ac discontinuis. Prob. primò rationibus num. 2. allatis, quæ hic etiam vim suam habent, & à thesi applicantur ad hypotheseum. Secundò, nam alioqui non possemus scire utrum de facto non sit eadem forma ignis ubicunque est ignis, & non diversa pro diversitate loci: quod idem dici posset de omnibus formis tum substantialibus, tum accidentalibus.

Probatur tertio, secundum omnes censetur miraculum quodcumque aliquid est in duobus locis adæquatis, & totalibus simul, ergo non potest quidquam naturaliter statui in duobus locis hujusmodi, seu discontinuis. Dices, solum censeri miraculum quò res aliqua completa, ut homo, vel Angelus statuatur in diversis locis, non verò quòd res incompleta. Contrà primò, nunquam in scholis audita est hæc disparitas à quoquam data, sed ipso facto quòd aliquid sit in diversis locis, reputatur semper esse miraculum. Contrà secundò, hinc valde infringuntur miracula cum conceditur posse res aliquas naturaliter esse in diversis locis, quidni enim, si uni rei hoc concedatur, poterit & concedi aliis? Unde ex communi consensu omnium, si poneretur eadem albedo in duobus parietibus, altero hic, altero in Indiis, censeretur miraculum.

Quartò & præcipue probatur, si enim forma materialis possit vi agentium naturalium statui in diversis locis discontinuis, sequitur posse etiam compositum eadem ratione in duobus locis collocari: unde Deus ut auctor naturæ posset ignem aut arborem Londini simul & Parisiis statuere. Si enim hoc ex limitatione rei creatæ non proveniat, & concedatur formæ, non est unde negetur composito.

Dices, ignem aut lapidem, vel aliud hujusmodi compositum non posse statui in diversis locis, quia sequeretur penetratio, cum locus omnis in universo sit corpore aliquo repletus, & nullibi detur vacuum.

IV.
Idem dicitur
de forma
materiæ
ali.

V.
Habuum
semper esse
miraculum
quævis res
existit in
duobus locis.

VI.
Sequeretur
quidvis esse
posse natura-
liter in
duobus locis.

VII.
Quædam
sunt.

Con-

VIII. *Virtus motus resfelli-*
Contra primò, ergo si Deus tolleret à composito aliquo quantitatem, posset lapis ex. g. aut arbor naturaliter poni in duobus locis discontinuis. Contra secundò, ergo si Deus alicubi efficeret vacuum, posset illic res quævis habere duas ubicationes discontinuas. Unde & de facto supra cælum empyreum posset homo aliquis, aut lapis, habere naturaliter duas hujusmodi ubicationes discretas. Contra tertio, nullus hæctenus, si corpus aliquod statueretur in diversis locis, in eo miraculum consistere asserit, quod sequeretur penetratio, sed in limitatione rerum creatarum.

duces, sed illi ignes sunt in diversis locis, ergo illam producent in diversis locis.

Resp. omisiss cæteris, negando consequentiam, licet enim possit forma illa ab utrovis igne in utrovis loco produci, & divisivè, non tamen ab utroque & in utroque loco, seu collectivè, quia nimirum est repugnantia naturalis ex parte effectus producendi, qui scilicet ob suam limitationem petit tantum esse simul in uno loco, unde unicà ubicatione expletur naturalis ejus capacitas; aptitudo autem causæ ad causandum est semper spectanda penes non repugnantiam effectus.

II. *Potes for-*
ma illa ab
utrovis igne
produci
non ab
utroque.

Dices, ipso facto quòd ponatur forma in duobus locis multiplicatur ejus virtus informativa, sicut & multiplicaretur virtus receptiva materiæ, si hæc statueretur in diversis locis. Contra primò, ergo etiam multiplicaretur virtus Angeli, & consequenter poni posset in duobus locis naturaliter. Contra secundò, priùs naturà quàm ponatur forma in diversis locis, debet esse apta naturaliter ad recipiendam duplicem ubicationem, sed ante positionem in duobus locis non est apta recipere duplicem ubicationem, solum enim est apta per multiplicationem, priùs autem ad actualem receptionem duplicis ubicationis deberet multiplicari ejus virtus, cum in aliquo priori debeat esse apta recipere, quàm actu recipiat, sed multiplicatur virtus formaliter per duplicem ubicationem, ergo pro nullo priori est apta habere duas ubicationes, quàm illas habeat, ergo non potest naturaliter habere duas.

III. *Dicitur*
multiplicari
forma
virtutem.

Resp. non
multiplicari
eam anteceder.

Objicies secundò: quod ignis aliquis Romæ sit paratus & aptus ad producendum formam A, non impedit, quo minùs alius ignis Leodij sit similiter aptus ad eandem formam producendam. Probatur unus namque ignis appositus diverso loco non minuit virtutem operandi alterius. Resp. negando antecedens. Ad probationem dico, unum ignem non impedire alterum diminuendo vires, sed afferendo aliud impedimentum nempe indeterminationem. Sicut quòd alius effectus sit possibilis ut hic & nunc producat, & non unicus tantum, non minuit virtutem causæ, imò auget potius, impedit tamen quo minùs possit causa hic & nunc prodire in actum ob indeterminationem quam affert. Quod ergo hic faciunt duo effectus apti simul produci respectu ejusdem causæ, faciunt ibi duæ causæ respectu ejusdem effectus, qui cum naturaliter sit incapax duplicis ubicationis simul, ipso facto quòd simul ponantur in diversis locis duæ causæ aptæ, neutra est apta proximè, nisi aliunde determinetur in quo loco effectus sit producendus.

IV. *Oby. Unum*
ignem non
impedire
vim operati-
vam alterius.

Resp. impe-

Objicies tertio: ponamus esse creatas sex materias loco distitas, & solum quinque formas esse posibles, tunc saltem deberet necessariò eadem forma naturaliter poni in duobus locis, alioqui una materia manebit sine formà. Retorqueo argumentum, creet Deus sex formas, & ponamus esse quinque tantum materias posibles, ergo tunc una materia deberet naturaliter poni in duobus locis, alioqui forma una manebit sine subiecto. Resp. ergo, casum esse impossibilem, cum ponatur subiectum naturaliter aptum ad formam, & tamen non esse possibilem formam, quæ illud naturaliter informet. Posito ergo illo casu impossibili, vel deberet una ex illis materiis manere sine omni formà, vel duæ materiæ penetrari, & informari eadem, vel aliquid hujusmodi: tunc enim non esset relictus modus in naturà componendi omnia, ac proinde miraculo aliquo deberet Deus supplere defectum naturæ.

V.

Ad Deum
spectat sup-
plere defe-
ctus naturæ.

Objicies tertio: potest forma nunc majus, nunc minus spatium occupare, quare ergo forma illa, quæ potest naturaliter extendi ad duas ulnas per rarefactio-

VI. *Forma in*
duobus lo-
cis intra
suâ sphaeram

IX. *Sequitur*
Angelum,
& animam
posse natu-
raliter esse
in duplici
loco.

X. *Dicunt An-*
gelos illos se
in vicem
impedire.

XI. *Requirunt*
prædicta
responsio.

SECTIO II.

Argumenta contententia posse formam materialem naturaliter produci in duobus locis adæquatis.

I. *Præcipua*
ratio cur
forma ma-
terialis
produci
possit in
duobus locis.
Objicies primò: (& est fundamentum contrariæ sententiæ) possunt duo agentia naturalia, duo ignes ex. g. simul applicari in duobus locis discontinuis, ut alter Romæ, alter Leodij, & esse apti proximè ad agendum, seu ad producendam aliquam formam ignis, sed secundum nos tribuentes individuationem effectus causæ primæ, potest eadem forma ex se tam produci uno loco, quàm alio, ergo poterit causa prima dare concursum utrique igni ad producendam formam illam in utroque loco, uterque enim ignis est æqualiter aptus illam producere, & forma vicissim æqualiter apta ab utroque produci, ergo uterque poterit illam producere, ergo pro-

tionem, non poterit ad eandem extendi, licet relinquat aliquid spatij in medio? non enim occuparet plus spatij, quam naturaliter possit, & petat. Contrà, quidni ergo etiam Angelus posse relinquere aliquid spatij in medio suæ spheræ, & occupare duas alias partes extremas? nec enim occuparet plus spatij, quam naturaliter possit, & petat.

VII. RATIO ergo utriusque est modus ille spatium occupandi, cujus causam à priori assignare omnes fatentur esse difficile, experientia tamen constat hoc Angelo non posse contingere, cum sæpè compertum sit dæmones cum aliò transmigrare veillent, reliquiste ad tempus corpora obfessa, quod tamen non fecissent, si simul in utroque loco esse potuissent: si autem semel possit Angelus esse in duobus locis discretis, & planè à se, ut ita dicam, discontinuis, cum res in duobus locis disjunctis constituta sit à se prorsus independens, ut ostendam sect. 4. posset Angelus ille se gerere in utroque loco, atque si esset à se realiter distinctus, sicque ad quemcumque locum se pro libito transferre.

SECTIO III.

An divinitus possit idem corpus esse simul circumscriptivè in duobus locis, vel duo corpora in eodem.

I. Duo supponenda ut versa.

Duo hinc supponenda tanquam certa: primò posse corpus circumscriptivè in uno loco existens poni definitivè in alio: de fide enim est Christum, qui in cælo existit circumscriptivè, & modo sibi conaturali, in sacrosanctâ Eucharistiâ existere definitivè, ita scilicet ut totus sit in toto, & totus in qualibet parte hostiæ. Secundum est, corpus duas hujusmodi ubicationes circumscriptivas loco diffitas habere naturaliter non posse.

II. Prima sententia est negativa.

Prima itaque sententia negat posse corpus aliquod, etiam per divinam potentiam poni circumscriptivè in duobus locis inter se diffitis. ita S. Bonaventura in 4. d. 49. p. 25. a. 3. q. 1. in solutione ad 3. Durandus in 4. d. 10. q. 5. n. 30. & 31. Henricus quodlib. 9. q. 32. Paludan. in 4. d. 10. q. 1. Capreol. in 4. d. 10. q. 1. art. 3. & recentiores ferè omnes Thomistæ quos sequitur Vasq. 3. p. d. 189. c. 5. citatur etiam S. Thomas in 4. d. 10. q. 1. ad 3. & d. 44. q. 2. ar. 2. q. 3. ad 4. & alibi: Sotus tamen, & Cajet. aiunt S. Doctorem de potentia tantum ordinariâ esse loquutum.

III. Secunda & vera sententia affirmativa.

Secunda & vera sententia ait, nullam in hoc apparere implicantiâ, ac proinde posse idem circumscriptivè, & commensurativè in duobus simul locis discretis, ac separatis constitui: ita Alensis 4. par. q. 11. ar. 1. Richard. in 4. d. 10. ar. 2. q. 2. Okam in 4. q. 4. dub. 6. Major. in 4. d. 10. q. 4. Idem docet Alanus l. 1. de sacram. Euchar. f. 1. n. 12. Scotus lib. 4. Phy. & in 4. d. 10. q. 1. ar. 3. Bellar. To. 3. l. 3. de Euch. c. 3. fine. Suar. To. 3. in 3. p. d. 44. f. 4. Valen. To. 4. d. 6. p. 3. p. 1. n. 2. Cardinal. de Lugo d. 5. de Euchar. f. 1. nu. 12. Coninck 3. p. qu. 75. art. 4. d. 3. Hurta. disp. 14. Phyl. sect. 5. Arriaga d. 14. Phy. sec. 8. subf. 2. Oviedo cont. 15. Phy. p. 9. Conimb. l. 4. Phy. ca. 5. qu. 5. ar. 2. Rub. l. 4. Phy. & alij.

IV. Scotus Doctor Flor verè subtilis.

Tandem hanc sententiam in 4. d. 10. q. 2. tenet, & optimè explicat, & illustrat acutissimus Scotus, Doctor verè subtilis, Oxoniensis quondam Academiæ splendor: non alienigena, ut quidam non rectè opinantur, sed in Angliâ natus, ut clarè in suâ Britannia ostendit Gu. Camdenus in Northum. p. 670. Horum tamen, hâc in parte studium non improbo, is enim est Scotus, ut non tres tantum, sed trices tres de eo nationes meritò certare possint.

Probatum primò ex S. Augustino lib. de cura pro mortuis gerendâ c. 16. ubi ait; *Alij sunt humorum liquores rerum, alia divinarum signa virtutum, alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt: ex quo principio pro comperto habet S. Augustinus, animas sanctorum simul esse posse in duobus locis, in cælo scilicet & in terra, quando nimirum hic mirabiliter aliquid operantur, ergo & poterit aliquod corpus esse simul in duobus locis discontinuis, cum nulla sit specialis in eo difficultas, ut videbimus ex solutione argumentorum.*

Probatum secundò: de facto enim constat hoc sæpè contigisse: & in primis Christus ex quo ascendit in cælum, nunquam cælum reliquit, nec relinquit ante diem judicij, quod colligitur ex illo Actuum 3. v. 21. *quem oportet cælum suscipere, usque in tempora resurrectionis omnium: sed post ascensionem ejus in cælum certum est eum apparuisse multis in terrâ, & præcipuè ostenditur ex celebri illâ apparitione factâ S. Paulo in ipsius conversi prope Damascum, relatâ Act. 9. quòd enim fuerit Christus ipse, qui ei tunc apparuit, & non Angelus ejus loco, videtur certum, tum quia dixit, *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris*, tum quia ipse Paulus 1. ad Cor. cap. 15. v. 8. id affirmat, & sese inter oculos resurrectionis Christi testes numerat. Quod autem non viderit Christum in cælo, ut aliqui volunt, constare videtur, tum ex magnâ illâ luce, qua circumdabatur, quæ provenit ex præsentia Christi, tum ex voce, quam ipse & alij audiverant, ore Christi prolatam. Confirmatur ex variis scriptoribus omni exceptione majoribus, qui id variis sanctis sæpè contigisse asserunt, ita ut qui hoc in dubium vocaret, de re quavis dubitare posset. Varia exempla afferit Major citatus; & ante annos aliquot S. Francisco Xaverio contigisse certum est, & multorum, qui id viderunt, testimonio comprobatum, ut habetur in ejus vitâ.*

Tertiò probatur: non repugnat idem corpus poni definitivè in diversis locis, ut est de fide in corpore Christi in Eucharistiâ, quod sub diversis hostiis, quantumvis loco diffitis continetur, nec etiam repugnat corpus esse circumscriptivè in uno loco, & definitivè in alio, ut ex eodem mysterio constat. ergo nec repugnabit poni in duobus locis circumscriptivè, Patet consequentia, nam si possit poni in duobus locis definitivè, vel in altero circumscriptivè, in altero definitivè, multò magis in duobus circumscriptivè, cum ultra miraculum de positione in duobus locis, sit aliud miraculum, nempe, positio corporis, seu rei materialis ita, ut tota sit in toto, & tota in qualibet parte: facilius autem est corpus statuere in duobus locis modo ei proportionato, quàm improporcionado, ut videtur manifestum.

Quartò probatur, & simul ostenditur secunda pars tituli: possunt duo corpora extensa, & habentia duas ubicationes circumscriptivas, poni in eodem loco, ergo & idem corpus in diversis. Patet consequentia; sicut enim naturaliter non potest poni idem corpus in duobus locis discontinuis, ita nec unum corpus quantitativum admittit secum naturaliter aliud quantitativum in eodem loco, sed petit naturaliter impenetrabilitatem cum illo, ergo sicut potest Deus negare huic quòd ipsi naturaliter debetur, quidni concedere alteri poterit, quod illi naturaliter non debetur? Antecedens verò constat in nativitate & resurrectione Christi, quando corpus ipsius penetrabatur cum purissimâ carne Virginis Mariæ, & lapidè sepulchri: Christus enim nec nascens imminuit integritatem Mariæ, nec resurgens divolvit lapidem ab ore sepulchri, ut perperam pictores communiter in suis imaginibus insinuant. Item post resurrectionem ingressus est ad discipulos januis clausis,

sis, ergo non repugnat duo corpora quantitativa inter se penetrari supernaturaliter.

IX. Probatur ulterius posse duo corpora quantativa inter se penetrari.

Opinio quaedam Durandi.

X.

Quintò probatur: nulla est repugnantia, ut corpus ponatur circumscriptivè in duobus, vel pluribus locis simul, ergo poni in iis poterit, cum non sit negandum omnipotentia divinae omne id, quod non implicat contradictionem: Antecedens ostenditur ex solutione argumentorum.

SECTIO IV.

Argumenta contra existentiam circumscriptivam corporis in duobus locis.

I. Obj. fore circumscriptivè, et non fore.

Objicies primò; in ipsis terminis involvi contradictionem ut corpus sit in duobus locis circumscriptivè: nam esse corpus hoc modo in loco, est circumscribi loco, sed circumscribi loco est ita in illo esse, ut non sit extra illum, ergo non potest esse simul in alio, & circumscribi hoc, sic enim esset circumscriptivè, & non esset, seu simul esset extra hunc locum, & non esset. Contrà primò, ergo si sit circumscriptivè in uno loco, non potest esse nec definitivè in alio, si esse circumscriptivè in loco dicat non esse extra illum locum. Contrà secundò, nam esse definitivè in loco, si vim vocis spectemus, dicit etiam definiti loco illo, seu loci illius finibus contineri, ergo nec poterit esse in duobus locis definitivè, quod tamen est contra fidem.

II. Satis sit Objectioni.

Resp. ergo, esse rem in loco circumscriptivè solù dicere ita esse in loco, ut non sit tota in toto, & tota in qualibet ejus parte, in quo distinguitur ab existentia definitivà. Quæ autem implicatio ut illo modo sit simul in duobus locis, magis quàm definitivè?

III. Num corpus in duobus locis distat à se.

Objicies secundò; hinc sequi, idem distare à se, ut si Petrus hic statuatur & Romæ. Contrà, idem est de corpore in duobus locis constituto per duas ubicationes definitivas, ut de facto corpus Christi existit in diversis hostiis. Suarez itaque To. 3. in 3. p. d. 48. f. 4. ait, non esse inconveniens ut corpus in duobus locis constitutum distet à se. Dici tamen posset corpus illud non distare à se: sicut enim corpus habens in eodem loco duas ubicationes homogeneas, non dicitur penetrari secum, defectu distinctionis, ita defectu distinctionis dici posset non distare à se, sed tam conceptum distantia, quàm indistantia, seu penetrationis requirere distinctionem realem.

IV. Obj. posse esse in pluribus locis à infinitis.

Objicies tertio; si homo possit esse in duobus locis, poterit esse in pluribus & pluribus in infinitum, nec enim certus locorum numerus assignari potest. Conf. hinc enim sequitur ex uno homine constari posse integrum exercitum, & templum ex uno lapi-

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

de construi: utilis sanè orbi opinio, si res hæc tam factu esset facilis, quàm dictu. Ad argumentum Resp. idem objici posse de corpore in duobus locis constituto definitivè, ut de corpore Christi sub pluribus & pluribus hostiis: unde censeri hoc non debet inconveniens in uno casu, magis quàm in altero. Ad confirmationem dico, hæc quidem natura viribus fieri non posse, nullus tamen jure ei negaverit, qui ex quinque panibus, ac duobus piscibus quinque hominum millia refecit, quod Io. Major sect. sequente citandus num. 3. probabile censet factum fuisse per localem eorundem panum multiplicationem.

Idem sequitur in contrariis sententia.

V.

Positæ res in duobus locis moveri in utroque.

Objicies quartò; si corpus possit supernaturaliter statui in duobus locis, ergo & naturaliter acquirere poterit duplicem ubicationem, quidni enim in utroque loco naturaliter moveri possit? ex. g. si idem lapis statuatur in diversis locis super trabem, & in utroque simul auferatur trabs, tunc lapis in utroque loco cadet, cum ablatum sit impedimentum, & non sit major ratio, cur in uno loco cadat, quàm in altero. Huic argumento præcipuè insistit Vasq. 3. p. d. 189. c. 9. n. 47. quod tamen aded leve videtur Patri Hurt. d. 14. Phy. f. 5. n. 54. ut dicat, mirari se tam robustum militem tam imbecilla tela torquere. Hoc tamen telum non esse ita leve constat ex septem solutionibus, quibus quasi septemplexi clypeo illi obfisti solet: ex ijs aliquas referemus.

VI.

Dicunt alij qui lapidem illum in aere pensilem in neutro loco movendum.

Respondet ergo P. Hurt. citatus, & alij, lapidem illum neutro in loco motum iri naturaliter, quia non est capax, inquit, duarum ubicationum simul naturaliter. Contrà primò, Ergo Christus jam in coelo, positâ miraculosâ ejus existentia in Eucharistiâ, non poterit naturaliter se movere, nec loqui. Contrà secundò, ex eo quòd ponatur in duobus locis, & conferatur ei alia ubicatio supernaturaliter, nihil minuitur de virtute ejus naturali, ergo in altero saltem loco caderet, & acquireret novam ubicationem naturaliter. Sicut licet elevetur intellectus Angeli ad supernaturaliter videndum Deum, non propterea tollitur virtus ejus ad eliciendum simul actum naturalem cognitionis Dei. Dices; hæc duæ ubicationes sunt oppositæ. Contrà primò, quo genere oppositionis? certè nec sunt contradictoriae, nec sicut calor & frigus: relativa autem oppositio, si in ijs reperiretur, nihil obstaret simultati motuum. Contrà secundò, esto sint oppositæ, at non pugnant in diversis locis, sicut nec calor & frigus, sed ut pugnent, debent esse circa idem subjectum in quantum idem, seu in iisdem circumstantijs loci & temporis, ut dicitur sec. sequente.

VII.

Dicunt alij lapidem illum in uno tantum loco movendum.

Respondet secundò Arriaga d. 14. Phy. f. 8. n. 129. lapidem illum in uno tantum loco movendum, eo nimirum ubi Deus lapidem conservat naturaliter. Contrà primò, si sermo sit de ubicationibus quoad substantiam, utraque est naturalis, si de ijs quoad modum, utraque est supernaturalis, & lapidi in his circumstantijs indebita, tam enim conservatio primæ est quoad modum supernaturalis, ob productionem secundæ, quàm productio secundæ, ob conservationem primæ, ut latè ostendi in simili suprâ d. 11. f. 6. de duabus formis simul in eadem parte materiae conservatis; ergo lapis ille, vel in utroque loco movebitur naturaliter, vel in neutro.

VIII.

Lapis ille movebitur naturaliter in utroque loco.

Ad argumentum itaque resp. lapidem in utroque loco naturaliter casurum: res enim in duobus locis discretis constituta est virtualiter duplex, sicut in diversis temporibus. Quæ clariùs constabunt ex sec. sequente.

SECTIO V.

Vtrum res in duobus locis constituta plus possit naturaliter, quam quando erat in uno.

I. Prima sententia est negativa.

II. Explicatur hæc sententia.

III. Secunda, & vera sententia est affirmativa.

IV. Quid hæc de re dicat Ioannes Major.

V. Res in duobus locis est virtualiter duplex.

VI. Resoluitur disparitas assignata inter locum, & tempus.

VII.

Negat Monæus d. 10. c. 9. Hurt. d. 14. Phyl. f. 5. n. 64. & 65. Arriaga d. 14. Phyl. f. 9. n. 134. & f. 120. 156. Oviedo Cont. 15. Phyl. p. 10. n. 6. & alij nonnulli: quam etiam sententiam tenere videtur Cardin. de Lugo d. 5. de Euchar. f. 2. n. 50. & 51.

Afferunt ergo hi auctores corpus aliquod Leodij constitutum, & Londini ex. g. non posse calorem ut octo in uno loco habere, & frigus ut octo in alio, & sic de cæteris, sed eos tantum gradus caloris & frigoris, qui naturalem ejus virtutem exæquent, ut si Leodij habeat sex gradus caloris, Londini habere solum potest duos vel caloris vel frigoris, & universum in utroque loco simul habere tantum potest octo gradus.

Secunda sententia, quæ mihi semper visa est multo probabilior, affirmat rem in duplici loco discreto constitutam, posito hoc miraculo, bis tantum posse naturaliter, ac poterat in uno, & æquivalere duabus ejusdem virtutis. Unde, lapis Leodij constitutus & Londini, poterit hic naturaliter habere septem vel octo gradus caloris, & Londini totidem frigoris. Petrus torris ut sex hic constitutus & Romæ, potest hic levare pondus ut sex, & eodem tempore Romæ levare simpliciter pondus ut sex, & sic de aliis effectibus naturalibus.

Hanc conclusionem tenet Jo. Major in 4. d. 10. q. 4. ubi ad 4. sic habet, Concedo, inquit, quod Thersites tantum pondus portare potest in pluribus locis, quantum Ajax in paucioribus: & quod gutta aqua multoties replicata localiter ferre possit mille naves, quibus Græci ad Troiam applicuerunt: & quod unus panis potest sufficere exercitui Xerxis, vel Darij, per positionem in pluribus locis, &c. hæc ille. Idem tenet Okam in 4. q. 4. dub. 6. Hugo de S. Victor. 2. de Sacram. p. 8. c. 3. Coninck de sacram. q. 75. a. 4. d. 3. & Suarez 3. p. To. 3. d. 48. l. 6. quoad actiones transeuntes, & alij

Ratio à priori est, quia res in duobus locis discretis constituta, est virtualiter duplex, & à se independens, sicut quando existit in diversis temporibus. Unde, sicut aqua potest hodie esse intense frigida, & cras intense calida propter solam varietatem temporis, licet ead. m. persistat aquæ entitas, ita & hæc eadem in duobus locis posita, suscipere potest contraria propter varietatem loci. Cum ergo omnes fateantur diversam circumstantiam temporis reddere rem virtualiter duplicem, reddet etiam eam virtualiter duplicem circumstantia loci.

Dices primò cum P. Arriaga d. 14. f. 9. n. 137. disparitatem quoad hos effectus esse inter ubicationes & durationes, quòd durationes illæ non sint simul, sicque nil mirum quòd unus homo diversis temporibus æquivaleret duobus. Sed contrà: hoc eodem argumento contendo ego hominem in duobus locis æquivalere duobus, quia loca illa non sunt simul, simulras enim simpliciter dicit non solum existentiam in eodem tempore, sed etiam in eodem loco, seu coexistentiam omnimodam. Unde, hæc solutio probat potius nostram sententiam.

Dices secundo; duæ ubicationes nil addunt virium rei in duobus locis constitutæ, ergo non plus in duobus locis poterit, quam in uno. Retorqueo argumentum, duæ durationes nihil addunt virium rei in diversis temporibus constitutæ, ergo non plus in duobus temporibus poterit, quam in uno, quæ

consequentia est aperte falsa, ut constat. Dico itaque virtutem rei activam aut passivam in duobus locis existentem non esse quidem auctam intensivè, sicut enim Petrus est solum fortis ut sex Leodij, ita similiter est solum fortis ut sex Romæ, augetur tamen ejus virtus extensivè, id est, per novam ubicationem extenditur eadem virtus ad novum locum, sicut per novam durationem ad novum tempus.

Dices tertio; si res in eodem loco conservaretur duabus actionibus totalibus, non plus posset quam si conservaretur tantum unâ, ergo nec si conservaretur duabus hujusmodi actionibus in diverso loco. Contrà primò, si conservaretur res duabus actionibus totalibus in eodem tempore, non plus posset quam si conservaretur tantum unâ, ergo nec si conservaretur in duobus temporibus: nulla consequentia.

Dices quarto, si res aliqua habeat duas ubicationes homogeneas, seu in eodem loco, non plus poterit quam si habeat tantum unicam, ergo duæ ubicationes nihil ad hunc effectum conferunt. Contrà, idem argumentum fieri posset de re conservatâ duabus durationibus homogeneis, seu respectu ejusdem temporis, ut constat. Sicut ergo in ordine ad hujusmodi effectum diversa ratio est de durationibus homogeneis & heterogeneis, ita & de ubicationibus, ob rationes assignatas n. 4. & 6.

Dices quinto; calor, frigus, & reliqua accidentia, & formæ substantiales non respiciunt subjecta ut hanc vel illam ubicationem habentia, cum nec partialiter recipiantur in ubicatione, sed respiciunt subjecta secundum se. Contrà, manifestum est in omni sententiâ ubicationes ad hujusmodi effectus aliquo modo conducere, nam contrariæ sententiæ auctores asserunt, assensum & dissensum, amorem & odium ejusdem objecti posse divinitus eidem animæ, vel Angelo in diverso loco inesse, negant iis posse divinitus inesse in eodem, ergo ubicationes hic aliquid conferunt tanquam conditiones ad hæc necessariæ, licet qualitates istæ in ubicationibus non recipiantur. Eodem ergo modo conducere poterunt duæ ubicationes ad hos effectus naturaliter habendos, cum per eas res in duobus locis constituta reddatur virtualiter duplex, & à se plane independens, sicut contingit rei in duobus temporibus: ut totâ hæc sectione ostensum est.

Secundò probatur conclusio: Res in diverso loco inadæquato existens recipere naturaliter potest denominationes oppositas, ergo à fortiori existens in duplici loco adæquato, ac discontinuo. Consequentia probatur, res enim in diverso loco adæquato existens, multo minorem secum habet connexionem, multoque magis est à se independens, quam quando est in diverso solum loco inadæquato. Antecedens ergo probatur, anima in corpore existens movetur in manu, dum interim frequenter non omnino movetur in pede: in manu dextrâ attollitur, & simul deprimitur in sinistra: actus intellectus est in animâ in capite, non in manu, & sic de aliis: ergo locus inadæquatus sufficit ad effectus formales maxime oppositos, multo ergo magis ad hæc sufficit diversus locus adæquatus.

Dices ergo poterit Angelus in hac scholâ ex. g. existens, habere in angulo orientali assensum, in occidentali dissensum, hic amorem, ibi odium ejusdem objecti, nulla enim secundum nos esset contradictio. Contrà, hoc argumentum ab omnibus solvi deberet, cum omnes fateantur animam in manu moveri, non in pede, & alia numero præcedente posita.

Resp. itaque negando sequelam, non ratione contradictoriorum, quæ, quamvis hoc contingere,

Quomodo augetur virtus rei in duobus locis. Augetur extensivè, non intensivè.

VIII. Duæ actiones totales non multiplicanti rei virtutem.

IX. Duæ ubicationes, aut durationes homogeneæ nihil faciunt.

X. Duæ ubicationes heterogeneæ multiplicanti vim actionem, & passivam.

XI. Locus inadæquatus multiplicans virtutem, ergo à fortiori adæquatus.

XII.

XIII.

Angelus non potest in unâ parte loci inadaquatè habere assensum in aliâ assensum.

nulla essent, sed ob alia incommoda quæ inde sequerentur: sic enim posset Angelus velle pugnancia in diversis locis inadæquatis, ut si in hoc angulo haberet voluntatem movendi se adæquatè versus orientem, in illo versus occidentem, hic petendi cælum, ibi centrum terræ, & similia: sicque Angelus ex vi harum voluntatum conareretur ad opposita, & pugnaret secum. Hæc ergo cum sint inconvenientia, & per se appareant indigna perfectione Angelicâ, non videtur vis ei ad hæc à naturâ tributa. Deinde, cum ibi existat Angelus per modum unius, operari etiam debet per modum unius. Angelus autem in diversis locis discretis existens, cum nullam habeat connexionem in uno loco secum ut in alio, hæc omnia potest sine incommodo. De quo plura dixi in materiâ de Angelis.

SECTIO VI.

Inferuntur quadam circa existentiam rei in duobus locis discretis.

I. Homo idem in uno loco potest moveri, in alio peccare.

Hinc infero primò, rem aliquam, hominem ex. g. in duobus locis adæquatis existentem, posse in utroque naturaliter moveri: in uno esse intensè calidum, in alio intensè frigidum: in uno habere naturaliter assensum, in alio dissensum: in uno amorem, in alio odium ejusdem objecti: in uno mereri, & esse in gratiâ, in alio peccare: in uno salvari in alio damnari, & similia.

II. Dices hinc sequi posse Angelum in eodem loco esse simul naturaliter in gratiâ, & peccato.

Dices; hinc sequi, posse Angelum aut animam separatam habere simul naturaliter assensum, & dissensum, esse in gratiâ & peccato in eodem loco adæquato. Sequela probatur, ponamus Angelum in angulo orientali gymnasij ex. g. in palmo constitutum, peccare, & eundem in angulo occidentali in palmo similiter existentem, esse in gratiâ: poterit hic Angelus naturaliter moveri se rectâ lineâ ab uno angulo gymnasij ad alterum, ergo ubi ad palmum in medio gymnasio pervenerit, penetrabitur secum, ergo in eodem loco erit simul in gratiâ, & peccato.

III. Retorqueatur argumentum.

Contrâ, hæc difficultas communis est omnibus, qui dicunt Angelum in duobus locis posse divinitus habere assensum & dissensum, esse in gratiâ & peccato in diversis locis discretis: saltem enim potest Deus Angelum illum lineâ rectâ versus utrumque angulum movere, ergo in palmo illo medio erit simul in gratiâ & peccato. Imò in opinione dicente posse Angelum in altero loco vi sua moveri, hoc fieri posset naturaliter, cum ad se accedere naturaliter posset.

IV. Angelus in eo casu non potest secum penetrare.

Resp. itaque primò, in hujusmodi casu debere connaturaliter Deum impedire quò minus Angelus secum penetraretur. Secundò dico, licet Angelus in eo casu possit proximè ad se accedere, non tamen posse secum penetrari, quia hæc formæ impedirent. Sicut si eadem anima esset simul in duobus locis discretis in duobus corporibus, quamvis ad se proximè accedere possit, non tamen secum penetrari, quia corpora obstarent: qua de causâ de facto anima in manu dextrâ non potest secum in sinistrâ ejusdem hominis penetrari. Quod hic facit moles corporea, ibi facit formalis vel virtualis contradictio, quæ in assensu & dissensu, amore & odio, peccato & gratiâ, & hujusmodi aliis reperitur, ob quam sibi in eodem subjecto eodem loco constituto repugnant.

V.

Infero secundò, perinde esse quoad hos effectus, sive res in duobus locis ponatur per novam productionem, sive per additionem, actio enim produ-

ctiva nihil addit virium rei productæ, alioqui quòd res perfectiori actione producitur, eò majorem haberet virtutem productivam. Actio ergo nihil ad hos effectus confert, unde si per impossibile res esset à se, tantam haberet virtutem activam, ac modò.

Quæres primò, utrum si Petrus in duobus locis constitutus, sibi obvius fieret, secum penetraretur, vel an sibi obstitere? videri non nemini posset fore, ut secum in eo casu penetraret, idem enim corpus non minus sibi est pervium, quàm in eadem anima, quæ, si in duobus locis constitueretur, posset sine dubio secum penetrari, nisi esset peculiare aliquod impedimentum, quale posuimus numero quarto. Omnino tamen dicendum, Petrum in eo casu non secum penetrandum. Ratio est manifesta, nec enim ita sibi occurrere potest, quin diversis semper corporis partes sibi applicentur, ut dextra sinistrâ, dorsum pectori, aut aliquid hujusmodi.

Quæres secundò, possitne homo qui spiam Romæ constitutus, & Leodij, hic vivere, illic mori? Magna est hic lis de nomine, certum enim est posse animam Romæ à corpore deuniri, & remanere adhuc unitam Leodij.

Probabilior mihi in hoc casu videtur pars affirmativa. Probatum est enim victurum adhuc hominem illum Leodij, cum videret, audiret, loqueretur, & reliquis vitæ functiones exerceret. Quòd etiam Romæ foret mortuus, ostenditur; verè enim anima illius Romæ separaretur à corpore, quæ est definitio mortis. Deinde, corpus illud putresceret, & in vermes ac saniem disflueret, non minus quàm alia corpora corruptibilia. Conf. ex Trid. sess. 13. ca. 3. ubi animam Christi comitari corpus ejus in Eucharistiâ asserit, quia Christus à mortuis resurrexit, non amplius moriturus: Ergo censet Concilium, si dum Christus jam vivit in cælo, corpus ejus esset in Eucharistiâ sine animâ, corpus illud fore mortuum, ergo secundum mentem Concilij potest idem corpus esse vivum in uno loco, & mortuum in alio.

Licet autem in hoc casu dici verè possit corpus illud esse mortuum, dici tamen absolute non potest non esse vivum, hoc enim perinde sonat ac animam nullibi esse ei unitam, cum particula non sit *malignantis naturæ*. Sicut de Christo verum est dicere, *fuit mortuus, non tamen non fuit vivus*, particula enim non infinite prolata omne tempus ambit, & omnem locum.

SECTIO VII.

Quæ accidentia corpus in duobus locis constitutum connaturaliter comitentur.

Quæstio procedit de accidentibus à loco absolutis, accidentia enim certo loco affixa, qualia sunt ubicatio rei, & actio ubicacionis productiva una quia ubicatio affigitur rei, cum secundum nos ubicatio non sit modus, & alia hujusmodi, certum est unâ cum re in alium locum non transferri: sicut dum Petrus successivè locum mutat, accidentia hæc localia cum eo non moventur.

Quoad accidentia ergo à loco absoluta difficultas est, tum de iis quæ corpori insunt quando primò in alio loco replicatur, tum de alijs quæ corpus jam replicatum variis locis decursu temporis acquirit.

Dico primò, quando corpus aliquod Leodij ex. g. existens replicatur, & simul collocatur Romæ, non necessariò cum eo transferuntur calor, color, & alia accidentia absoluta, quæ ipsi inerant Leodij: *ita Sotus in 4. d. 10. q. 10. a. 5. Suar. To. 3. in 3. p. d. 48.*

Non requiritur ad hoc, ut res de uno pro-ducatur.

VI.

Homo in duobus locis sibi occurrens, non potest secum penetrari.

VII.

VIII.

Homo in duobus locis constitutus, in uno potest vivere in alio mori.

IX.

Dici potest corpus illud mortuum, non tamen non vivum.

I.

Sermo est de accidentibus à loco absolutis.

II.

Duplex hæc difficultas.

III.

Corpus aliud translatum non necessariò fert secum sua accidentia.

SECTIO VIII.

An res in duobus locis existens, utrobique habere debeat actionem sui conservativam.

IV. Ex nullo capite ostenditur ea necessitas.

V.

Aliud est Romæ affirmare ferrum esse frigidum, aliud esse frigidum Romæ.

VI.

VII. Congruum tamen est accidentia absoluta simul cum corpore transferri.

VIII. Accidentia, quæ res postquam est in duobus locis acquirunt, non transferuntur.

f. 5. Cardin. Lugo d. 5. de Euchar. s. n. 35. Hurt. d. 14. Phis. f. 5. n. 68. Arriaga d. 14. Phis. f. 10. n. 14. Oviedo Cont. 15. Phis. p. 10. n. 14. & alij contra Scotum in 4. d. 10. n. 14. Fabrum ibid. 37. c. 4. Vasq. 3. p. d. 189. c. 4. & alios.

Ratio est primò, quia cum non eadem sit necessitas ubicatio rei & accidentium, ut supra ostendi d. precedente, s. 5. n. 6. poterit Petrus transferri Romæ, relicto accidentibus Leodij. Secundo & præcipue, quia nulla in contrarium urgens ratio afferri potest, ergo non est hoc divinæ potentie denegandum.

Nec vim ullam habet cui tantoperè insistit Vasquez, inde scilicet sequi contradictoria, cum accidentia absoluta à loco prædicentur de subiectis simpliciter, & non cum restrictione, & limitatione ad certum aliquem locum in particulari: hoc, inquam, non obstat, si enim ferrum Romæ esset calidum, & frigidum Leodij, posset verè de eo utrobique affirmari, absolute esse frigidum, non tamen esse frigidum utrobique. Unde, si quis videns ferrum illud Romæ, ubi est calidum, dicat, hoc ferrum est frigidum, verum dicit, cum revera sit frigidum: licet enim ipse Romæ affirmet esse illud frigidum, obiectum tamen propositionis illius non ingreditur locus, ita ut dicat, est frigidum Romæ, tunc enim propositio esset falsa, sed solum affirmat de eo frigus abstrahendo à loco, sicque nihil affirmat quod non sit verum. Multò minus qui dicit, hoc ferrum est frigidum, dicit, est frigidum ubicunque est, si enim abstrahit ab omni loco, ut vult Vasquez, quo pacto ait esse frigidum in duobus locis? Licet autem dici absolute possit, *ferrum est frigidum*, non tamen, non est calidum, ob rationem in fine sec. præcedentis allatam.

Dices; accidentia isthæc abstrahunt à loco, ergo locus has propositiones non ingreditur, sicque sunt contradictoria, ergo duæ contradictoria erunt simul veræ. Admissis reliquis, nego hanc ultimam consequentiam, semper enim esset falsum dicere, ferrum illud non est calidum, ut ostensum est.

Dico secundò: congruum videtur, ut omnes propemodum affectiones rei & accidentia, sive naturalia, sive supernaturalia ponantur in loco quò res transfertur, simul cum re illa cujus sunt affectiones, quia jam sunt facta illius, & illa quasi possidet, & per unionem jus ad illa acquisivit; congruum autem est ut omnia sua secum portet. Quæ de causâ ex Concilio Trid. sess. 13. c. 3. docent Theologi in sacrosanctâ Eucharistiâ poni per concomitantiam animam, & Divinitatem Christi, licet corpus tantum, & sanguis ibi ponantur ex vi verborum.

Dico tertio: si corpus, postquam est in duobus locis replicatum, alteretur, calefiat scilicet, aut frigeat Leodij, non calefiat aut frigeat connaturaliter Romæ. Est contra Oviedo citatum p. 10. n. 19. & alios nonnullos ex auctoribus citatis. 3. Ratio assertio est, quia res in duobus locis constituta, est virtualiter duplex, ut ostensum est f. 5. & 6. ergo eodem modo se habebit quoad affectiones omnes, & accidentia de novo advenientia, ac si esset realiter duæ res, & secum non identificatæ. Conf. si ignis existens Leodij, & illic ferrum calefaciens, calore etiam produceret in ferro Romæ, ageret in distans, quod, naturaliter saltem, fieri nequit, ut ostendam disp. sequente.

Negar P. Oviedo cont. 15. Phis. p. 10. n. 11. Unde ait, si Petrus ex. g. existens Matrili in instante A cum actione sui conservativâ, transferatur Londinum in instante B, adhuc remanens Matrili posset eum existere Londini, licet actio ejus conservativa maneat tantum Matrili, nec unâ cum Petro Londinum transferatur, aut ulla alia actio Petri conservativa Londini ejus loco substituitur.

Hunc tamen philosophandi modum probare nullâ ratione possum. Contra ergo est primò, productio conservatio, & si qua sint hujusmodi alia, sunt denominationes terminis intrinsecæ, ergo effectum suum formalem tribuere ibi non possunt, ubi non existunt: licet enim causa efficiens secundum quosdam agere in distans possit, saltem supernaturaliter, id tamen in causâ formali est intelligibile, cum effectum suum formalem per intimam sui unionem, seu informationem tribuat: cum ergo actio conservativa Petri non sit Londini, denominare Petrum Londini conservatum non potest.

Contra secundò, non potest albedo aut calor Romæ existens denominare lac album aut calidum Leodij, nisi cum eo albedo & calor illuc transferantur, ut videretur manifestum, ergo nec actio Romæ existens denominare potest lac conservatum Leodij, cum non minus, imò magis requiratur actio unionem cum termino, ut effectum illi formalem tribuat, quàm albedo aut calor: actio enim, utpote modus, per se immediatè petit afficere subiectum, albedo autem & calor tantum mediatè, & per unionem distinctam.

Contra tertio, si dum Petrus Leodij existeret & Matrili, anima ejus hic Leodij à corpore separaretur, Deo adhuc eam unitam conservante Matrili sequeretur, animam ejus esse adhuc hic unitam ejus corpori, si enim actio effectum suum formalem & denominationem intrinsecam tribuere potest in loco distante, quidni idem præstare poterit unio? sicque in hoc casu Petrus adhuc verè diceretur vivere Leodij per unionem Matrili existentem, sicut in alio casu diceretur conservari Londini per actionem existentem Romæ.

Dices primò cum P. Oviedo citato: (& est fundamentum hujus opinionis) si calor productus Romæ ab igne A transferretur Matrili, igne illo non translato, sed manente tantum Romæ, posset adhuc actio illa persistere Matrili, licet tot milliaribus sit à suo principio, seu igne remotum, & ignem illum Romæ denominare conservantem calorem Matrili, ergo si calor solus sine actione ejus conservativa Matrili transferretur, actione manente Romæ, & ibi calorem conservante, posset actio hæc calorem illum denominare conservatum Matrili.

Contra, manifesta, secundò omnes, est disparitas inter causam efficientem, & formalem, cum illa ex genere suo sit in operando extrinseca, & operetur ut plurimum transeunter, hoc autem essentialiter repugnat causæ formali physicæ, quæ scilicet non alio modo quàm per intimam sui exhibitionem effectum suum præbet, alioqui, ut dixi albedo Romæ denominabit parietem album Leodij, & alia sequentur supra illata.

Dices secundò cum eodem; munus actionis est conservare, munus autem ubicatiois rem hoc vel

I. Opinio asserens rem conservari uno loco posse sine actione.

II. Refellitur quia conservatio est denominatio intrinseca.

Causa formalis non agit in distans.

III.

Calor Romæ non potest denominare ferrum calidum Leodij.

IV. Sequeretur corpus alteri vivere per unionem anima ad corpus.

V. Ignis Romæ potest producere calorem Matrili.

VI. Differentia inter causam formalem, & efficientem.

VII.

Actio rem intrinsecè efficiens non possit ubi non est. illo loco statuerè, tribuendo ergo singula singulis, res per actionem conservatur, hic vel ibi per ubicationem. Contrà, licèt solius actionis munus sit rem conservare, cum tamen actio sit causalitas intrinseca,

non potest eo loco rem conservare, ubi non est, cum nisi illic ubicetur, efficere rem intrinsecè non possit, ut per se videtur manifestum.

DISPUTATIO XXXVI.

De propinquitate causa ad agendum.

SECTIO PRIMA.

Darinè possit actio in distans.

SECTIO II.

Præfertur sententia negans actionem in distans.

I. Prima sententia est affirmativa? ita Okamus in 1. d. 37. q. unica. Avicenna de Anima, f. 4. c. 4. Alex. 1. Met. comm. 18. Gabriel, Bassolis, & Mairon. tribui etiam solet Scoto: de cujus tamen mente plura sec. sequente.

II. Præcipuè nititur hæc sententia quibusdam experientis: primò magnus ignis producit calorem secundum omnes suas partes in manu, velligno, & tamen partes remotiores nihil agunt in propinquo- res, cum simile non agat in simile, ergo partes remo- tæ ignis agunt in distans nihil agendo in medio. Sec- undò, sol producit gemmas in visceribus terræ. Tertio, magnes trahit ferrum, & succinum paleas. Quarto, torpedo piscis stuporem quendam, & tor- porem incutit manui arundine & lineâ piscantis, cum tamen in arundine ipsâ & lineâ nullum hujusmodi effectum operetur, quod habetur ex Aristotele 9. de Historia Animalium c. 37. & aliis auctoribus omni acceptione majoribus. Quintò, Basiliscus, seu regu- lus dicitur visu occidere homines distantes.

III. Sextò, certum est vetulas intensè, & fixis oculis parvos & pueros, etiam remotos inspicientes, eosdem fascinare: de quo licèt Delrio in suâ Magiâ dubitet, restamen est certissima, & non solum experientiâ, sed gravissimorum etiam virorum auctoritate firmata: id enim refert Aristoteles, Plutarchus, Magister Sententiarum, Albertus Magnus, S. Thomas 1. p. q. 117. a. 3. ad 2. ubi ait, sic igitur, cum anima aliqua fuerit vehementer commota ad malitiam, sicut maxime in ve- tulabus contingit, efficitur aspectus ejus venenosus, & no- xius, maxime pueris, qui habent corpus tenerum, & faciliè receptivum impressionis. Hæc ille. Cui auctoritati tan- torum virorum consonat illud Poëtæ, Nescio quis te- neros oculos mihi fascinat agnos. Hoc verò fit ei aculan- do quoddam virus ex oculis rectè in oculos alterius, qui cum sint tenerrima pars corporis, faciliè venenum admittunt, & inficiuntur.

IV. Aliæ etiam adducuntur experientiæ, ut de aquâ fervente in lebetè, cum tamen fundum lebetis sit tem- peratum. Item si oleum fundatur in chartam concavâ, & supponatur lucerna, fervebit oleum ita ut pisces immittos, & ova coquat, charta tamen non combure- tur. Galgulus avis, etiam distans humores noxios ex hominum oculis ad se attrahit, & ex ijs moritur. Item commune illud experimentum, quo Leodij & alibi utuntur metallorum indagatores, qui utraq; manu virguleum arboris nucis avellanæ tenere solent, & hac ratione per prata & montes incedere: si verò contingat transire eos per locum ubi in terræ visceribus la- tent metalla, præcipuè ferrum, movetur statim virga, & in terram inclinatur. Tacta etiam unâ chordâ in fidibus, sonant alia ejusdem toni in fidibus ad inter- vallum aliquod distantibus: & sexcenta hujusmodi.

V. Ad hæc omnia respondebitur sec. sequente, ubi iterum recurreret sermo de experientiis.

Secunda itaque sententia negat posse rem ullam creatam agere in distans: ita Aristoteles 7. Phy. c. 2. quod fusè ibidem probat. S. Thomas ibid. lec. 2. & 3. & 1. p. q. 8. art. 1. corp. & ad 3. & 3. contra Gent. c. 68. Cajet. ibid. Durand. in 1. d. 18. q. 1. Sua- rez d. 18. Met. f. 8. n. 16. Molina 1. p. q. 8. a. 1. d. 2. Conimb. l. 7. Phy. c. 2. q. 1. a. 2. Rubius ibid. q. 1. n. 9. Hurt. d. 9. Phy. f. 6. n. 70. Arriaga d. 7. Phy. f. n. 48. Oviedo cont. 18. Phy. p. 1. n. 1. & alij. Scotus verò licèt citari plerumque soleat pro contrariâ sententiâ, videtur tamen quoad causas creatas expressè asse- rere non posse eas agere in distans, nam in 1. d. 37. q. un. nu. 4. §. ad argumentum explicat Aristotelem de solâ causâ creatâ.

Prima conclusio: non potest agens naturale ope- rari in distans, nisi operando aliquid in medio. Ita auctores proximè citati. Probatur primò, nam pas- sim experimur interposito inter agens & passum a- liquo corpore actionis incapace, impediri effectum: sic terrâ interposita inter solem & lunam, aut cor- pus aliquod opacum inter lumen & rem illuminan- dam impedit quo minùs luminosum in eâ lucem pro- ducit. Idem præstant lignum aut paries inter ig- nem & manum: tunc enim nec sol illuminat lunam, nec ignis manum calefacit; ergo signum est hæc om- nia efficere aliquid in medio: alioqui quid impe- dired interpositio alicujus corporis, nisi solum quòd corpus interpositum sit incapax effectus qui in illo produci deberet?

Unde, in exemplo torpedinis, si manus tantillum distaret ab arundine, non rigesceret, sicut non ri- gescit manus alterius cujuspiam altantis piscatori: signum ergo est qualitatem quandam per lineam & arundinem trajici ad manum. Idem ad omnes illas experientias dicimus, nec ulteriore ad eas respon- sione est opus. Hujusmodi autem qualitatem in me- dio produci constat ex experientiis numero præce- dente adductis. Quòd verò rigescat manus, non li- nea; trahatur à magnete ferrum, non aër, vel lignum interpositum, provenit ex diversâ dispositione ma- teriæ, & naturâ qualitatis emissæ, quæ est attractiva hujus non alterius, sicut calor est liquefactivus ceræ, non luti, & sic de aliis hujusmodi.

Dices; medium illud opacum interjectum inter luminosum & rem illuminandam, resistere actiõni, & sic impediri luminosum quo minùs agat ulterius. Contrà, non resistit medium positivè, seu aliquid efficiendo, sicut calor in subjecto resistit frigori per resistantiam positivam activam, destruendo frigus, seu vires agentis per reactionem imminuendo, sed solum negativè, quia scilicet non est aptum in se re- cipere lucem, seu ut luminosum in ipso lucem pro- ducat; si autem possit aliquid agere in distans, non

I. Secunda sententia negat actionem in distans.

II. Nullum agens naturale potest agere in distans.

Probatur experientiâ.

III. Resp. ad exemplum torpedinis & reliqua.

Cur magnes trahat ferrum non lignum.

IV. Dicitur medium resistere.

Actio rem intrinsecè efficiens non possit ubi non est.

I. Prima sententia est affirmativa.

II. Experientie præferentur actionem in distans.

Magnes, succinum, Torpedo.

Basiliscus.

Vetule pueris fixis oculis intuentibus, veneno eos inficiunt.

Fit hoc aculando virus.

IV. Fundum lebetis & temperatum, aquâ calidissime.

Galgulus avis.

Modus metalli indagandi.

Chorda sonat.

V.